

# MARTYROLOGJUM PODLACHIAE

## BREVISSIMUM

SEU

Podlachiae martyrum, mortisque eorum gloriosae 1-o) in tormentis, 2-o) post  
cruciatus, 3-o) post supplicia in carceribus perpessae, brevis adumbratio.  
Ad quaestiones quoque a S. R. Congregatione positas justissima responsa.

SCRIPSIT

JOSEPH PRUSZKOWSKI

S. Th. Cand. Cathedrae Lublinensis Praelatus. Polonae Litterarum Academiae Socius.  
Universitatis Catholicae Lublinensis et Seminarii Janoviensis, honor. Professor  
Paroeciae S. Pauli Curatus.



LUBLINI. — 1924.

# MARTYROLOGJUM PODLACHIAE

## BREVISSIMUM

SEU

Podlachiae martyrum, mortisque eorum gloriose 1-o) in tormentis, 2-o) post cruciatus, 3-o) post suppicia in carceribus perpessae, brevis adumbratio.  
Ad quaestiones quoque a S. R. Congregatione positas justissima responsa.

SCRIPSIT

JOSEPH PRUSZKOWSKI

S. Th. Cand. Cathedrae Lublinensis Praelatus. Polonae Litterarum Academiae Socius.  
Universitatis Catholicae Lublinensis et Seminarii Janoviensis, honor. Professor  
Paroeciae S. Pauli Curatus.



LUBLINI. — 1924.

POLONIAE LIBRARY

MUNIZIPIALE

111

LEADER OF THE POLISH ARMY AND POLISH NATIONAL LIBRARY  
POLONIAE LIBRARY MUNIZIPIALE

11111111

LIBRARY POLONIAE

LEADER OF THE POLISH ARMY AND POLISH NATIONAL LIBRARY  
POLONIAE LIBRARY MUNIZIPIALE



Poloniae Typographia Officialis.

## **CLARISSIMI ET CONSULTISSIMI VIRI**

**IN PODLACHIENSIMUM MARTYRUM BEATIFICATIONIS CAUSA**

### **JUDICES SACRI !**

Podlachiensis seu Janoviensis dioecesis in Polonia haec sacra Navis Christi, sexaginta prope annorum decursu maximis involuta turbinibus, in vadum illisa, tormentisque schismatici magistratus Rossici hostilibus pro fide Christi defensa, prope modum interibat depressa.

At Jesus Christus Gubernator, clavum navigii Ecclesiae tenens, ad puppim hujus Podlachiensis Suae navis, ut in Apostolorum Suorum navicula quondam horribili agitata turbine, sedebat quietus, afflito ingensque in discrimen vocato populo Suo natutisque sacris, placidissimam pacem, patientiam, fortitudinemque animi mire dispensans.

Et quantumvis armata schismatica Rossica peste, veluti incendio tota fidelis undique deflagrasset Podlachia, caesareaque haeretica missio de scelere sacrilego, jam ferme triumphum suum agere sperasset, odio, armis neceque Polonum populum catholicum protritura, cuncta ejus jacula tamen jactabantur in cassum, omnisque ejus in Podlachiae navim insultus ruit praeceps, suis devictus armis.

Et haec Christi Podlachiensis navis non fracta bello, nec perjurio eversa, e maximis Divino ductu erupta turbinibus, tandem ad littora exoptatae pacis appulit laetissima, et Voluntate Sacra Christi, Sanctaeque Romanae Sedis dispositione, Praelatus D-r Monsign. Henricus Przezdziecki de manibus Christi hujus Sacrae, a Deo defensae navis Podlachiensis, ut ejus Episcopus, gubernatoris clavum suscepit, ut eam collectam, anchoris velisque instructam novis, in maris tempestivi altum, ad expeditionem Sacram Apostolici laboris educeret.

populi, cantu preceque defendantis sanctitatem Domus Dei; cum vexatio Podlachiensis populi in dies magis magisque cresceret, generalis gubernator Kotzebue seniores fidelium de Podlachia Varsaviam admonitionis causa vocavit, ut eos auctoritate sua ad necessitatem obtemperandi caesaris jussis adhortaretur inclinaretque, ut populus imperii rossici, quamvis ritus graeci catholici hucusque, caesaream religionem ejusque fidem profiteretur rossicam. Initio ergo ejusdem 1874 anni centum sexaginta quinque fideles de Podlachia, selecti a gubernatore Gromeka, Varsaviae in aula regia coram Kotzebue steterunt. Qui provoluti in genua cum gemitu et lachrymis rogabant, uti eos cum liberis misericordiae caesaris commendaret, gratiam licentiamque exposceret remanendi in sancta catholica religione, utpote qui fidem rossicam profiteri nequirent.

Aspero, et resistanti eorum obsecrationibus generali, replicue runt fideles: „Anno 1863 insurgentium tessera, quod pro defendenda fide catholica pugnarent, nos incolas non flexit, caesarique fideles perstitimus. Ut olim eorum ossa agros, silvasque opplevissent, ita et nostra hodie ossa quamvis pacifica et caesari fidelia, jam sacris circumjacent ecclesiis nostris, hostiliter a milibus caesaris pro sacra nostra fide dixpersa. „Siedlcensis gubernator Gromeka haec horribilia jam nobis minitatus est verba: *Ut ossa sancti vestri archiepiscopi Josaphat disjeci, ita et vestra disspergam, si fidei caesareae ejusque religionis non receperitis ordinem.* „Eramus pacifici et caesari fideles, eique perpetuam persolvemus gratiam sed corde et lachrymis petimus, ut nobis nostram fidem sanctam catholicam relinquat intactam“

Kotzebue ex iis, et eorum ferrei oris clarissimis verbis, jam tunc intellexit, eos pro fide sua nunc afflictos oppressosque, erectam habere in animis pacificam, patientem, summamque caesareae missioni resistantiam, paratam pro snae fidei defensione omnia pati morique.

Catholici ritus graeci et etiam latini juncti iis in Podlachia, unice passi sunt pro defensa sua fide catholica, pro fovenda sanctitate ecclesiarum suarum, precum, coronarum, rosariorum, catholici vetusti in ecclesia cantus sacri. Passi sunt pro sua aversione animi a popis, quos caesarea missio immitebat eis parochos, etiamque pro *contemptu* imperatoriae religionis, quam

jam causam excogitavit finxitque ipsa caesarea missio, eamque pro fide cuique martyri impegit.

II-o. Quomodo fideles Podlachiae essent passi, quos sustinerent cruciatus?

*Resp.* Passi sunt catholici illata ipsis ruina eorum fortunae, usque ad ultimae rei domesticae in mercatu publico venditionem. Passi sunt, nequiter et praepostere impositis laboribus, praeponderantibus onera aegyptiacae hebraeorum servitutis, in opere martyrologico fusius enarratis. Pro fide catholica secti sunt iterum atque iterum kozakorum flagris, et saepe ad mortem usque. Puniti sunt fame, stationibus detecto capite de mane ad vesperam quotidie per duas et tres hebdomades, gravissimorum frigorum et procellarum tempore, quae densam nivem effunderent. Passi sunt saepe pernoctando foris in frigore et procella. Passi sunt inditis compedibus conjecti in carceres, quotidie a magistris districtus tentati, utrum jam ipsis caesarea religio, omnium sanctissima, placeret. Et si in his cruciatibus non moriretur fidei sua confessor, et caesareae „contemptor“ permanserit audax, perpetuo exilio in abditas Rossiae regiones vel in Syberiam est pulsus, ibique catholicae fidei confessor vitam duram agebat, brevique tempore e vita cedebat. Sed jam omittam infernalia hujus missionis imperatoriae ejus immoralitatis scelera, quae Podlachiensi populo „sancto“ dicto inferebat.

III. Qui essent pro fide passi, singuli an omnes Podlachiae fideles?

*Resp.* Passi sunt omnes in Podlachia catholici ritus graeci, et omnes ritus latini, qui cum ipsis matrimoniali vel sociali nexu juncti essent. In gubernii ditrictibus quinque, in eorum civitatibus, ruribus, pagis, villisque, omnis cum ecclesia catholica unitus populus, tum etiam omnes latini ritus catholici, qui casu olim et fortuito in ecclesiis unitis baptisati essent, nec non latini catholici de mixtae religionis parentibus orti, et quamvis latino ritu baptisati et in ecclesia sua latina instructi essent, a missione caesarea ruthenis adsciti, senes juvenesque, viri et foeminae puellae puerique a decimo quinto anno vitae, per missionem caesaream sunt vocati, examinatique omnes, utrum parati jam essent catholico—Romanam, inimicam Rossiae, ejurare fidem?

Responso negativo accepto, omnes hi puniti erant variis tormentorum modis. „Caesarea in Podlachia missio“ erat frequentissima, et quamvis ejus schismaticus tacuisset clerus, et ab omni missionario epere alienus abstrususque esset, ejus loco, politiae frequentissima agmina, copiae militum pedestres, equitum turmae, multaeque kozakorum centuriae, per suos attamanos praefectosque ducti, caesareae missionis crudelissima exercebant jussa, imperatorium schisma serendo. Omnes quidem fideles sunt passi, a parvulo ad decrepitum senem usque, sed martyres fidei, qui tum in summa patientia vitam cum morte commutassent, in compendiario martyrologio meo sunt notati 104 tantum, qui in ipsis tormentis occisi, vel mortalibus oppleti vulneribus, inimicis suis dimittentes eorum debita, brevi animam suam Deo et angelis obtulissent.

Sed qui numero commetiri posset eos martyres, viros, foeminas juvenesque, qui gravissimorum frigorum tempore, pro sua constantia in fide, detecto capite, contra ventos, nives procellasque, de mane ad noctem usque stare coacti, gravissimoque tum inde implicati morbo, supremum diem Deo consecrassent?

Qui percensere posset, numerum eorum pro fide martyrum, qui in bono demestico devastati, flagris kozakorum caesi, aestate vel hiemali tempore, ulteriora evitantes pericula, praesertim mulieres cum suis prolibus, latibula quaererent silvestra, ubi suffocati fame, vel hieme torpentibus frigore nervis, animas suas fideles Deo sacrassent?

Qui nostrum commetiri numero posset illam multitudinem infantium, qui sanguinolentae vexationis tempore, cculando, sicca matrum suarum sugerent pectora, sed fessis corpusculis suis, langescenteque vita, in brachiis matrum, vel una cum ipsis fierent pro fide hostia Deo?

Qui dinumerare posset a bimatu et supra fidelium infantes, qui visu suos parentes vulneribus concisos, sanguine purpuratos, mortique proximos, perterriti kozakorum insultu et obstupfacti animo, latibula quaererent abdita, ubi fame frigoreque pressi, expirassent animam, augendo coeleste martyrum Podlachiensium album?

Caesar schismaticus, ejusque adjutor luteranus tentonus Kotzebue, apud historiam, Herodis nomem juste sibi impingi meruerunt.

His vere notatis, martyrum Podlachiensium catholicorum numerus, de 104 nominatis in compendiario opere meo, certissime ad mille pro fide martyrum virorum, mulierum, eorumque infantium ascendisset hostias.

IV. Utrum fideles tormentatos pro fide vel martyres vi dissem ego?

*Resp.* In Podlachia ab an. 1863 usque ad annum 1905, catholicus clerus fuit domi suae vere incarceratus et per rossicam politiam custoditus, ne ipsi liceret sine magisterii concessu, suae paroeciae transgredi limites.

Aditus sacerdoti ad vicinum parochum perdifficilis erat et ferme impossibilis. Tempore hoc siquidem „caesarea missio“ schismatica in populum catholicum ritus graeci, simul et latinum cum illo vinculo matrimoniali vel consanguinitatis junctum, infesta ferit vexatione, mirabilem constantiam ejus in sacra catholica fide crudelitate sua deviciens. Noctes et dies clerum catholicum circumstabat politiae custodia, ne auris ejus andiret, neque videret oculus, quae imperatoria missio facinora patrasset.

Omnis tum in Podlachia, sacerdotes per rossicum regimen et eo magis per activam caesaream missionem fuissemus notati studionissimi schismatis inimici, et modis rationibusque nostris in animos populi influentes, eumque ad resistantiam voluntati regiminis incitantes. Praesertim missio haec indagativos oculos suos a me nunquam dejecit, qui olim sacrae juventutis cleri in seminario Janoviensi professor fuisse, et in Podlachiae dioecesi habuisse sacerdotes amicos discipulosque meos.

In compendiario martyrologio (pag. 37) adumbravi sanguinolentam civium confessorum fidei Janoviensium torturam, cruciatumque eorum barbarum ante ostium Cathedralis Ecclesiae Podlachiensis actum, ubi ego cum vicariis meis, millenusque populus in ecclesia orans et humi in lachrymas gemitumque projectus, vidimus et audivimus fratres nostros pro fide tortos. Sed publica fidelium vexatio Janoviae in civitate acta, unica erat in Podlachia in toto caesareae missionis decursu, quae in civitatibus, oppidisque, suam in fideles missionarium actionem evitaret. Janoviae, missionis hujus effrenata specialisque mens erat, in area ante ostium Cathedrae, in ipso sacerrimo die Patrono-

rum dioecesis, Apostolorum Simonis et Judae, clero et catholico milleno populo fidi ad preces solennes congregato, ostendere, quo studio ardoreque caesarea missio de memoria fidelium eorumque animis, deberet expellere dogma, moralitatis fontes, scientiamque religionis, quos ecclesia haec catholica, ejus episcopi a sasculis cum suo clero, in cordibus fidelium seminassent.

Omnis vexatio fidelium sanguinolenta in Podlachia, obscurō compresso que peragebatur modo, ne secerdotum catholicorum audiret auris, neque eorum oculus videret haec impia feraque media, quibus caesarea missio schismatis sui, in animis fidelium seruisset semina.

Quum curatus Rajmundus Kamiński de paroecia Górkī decanatus mei Janoviensis, in defensione sui parochiani, destinati ad kozakorum flagra pro sua in catholica fide contumacia, venisset patronus in rus Kornica ad capitaneum Gołowińskij missionis activae ducem, oviculam suam jure restitutam oblinuit quidem, quamvis jam flagris kozakorum caesam et vulneratam, sed ipse parochiani sui defensor, eodem die jussu gubernatoris Gromeka, ejectus est de paroecia sua, de dioecesi et de gubernio Siedlcensi. Etenim judicio missionis imperatoriae sacerdos catholicus ausus est in theatrum schismatis activum venire temerarius, fuitque testis fidelium craciatus, et moralis incitator sua praesentia gementis in cruciatu pertinacis in sua fide populi.

Caeterum, si ego non vidi sem confessores fidei in tormentis caeserae missionis, praeter Janoviae passos, certo vidi mus plures pro fide sacra vulneribus concisos, jamque morti proximos, quibus, incolarum auxilio cursimque, per hortorum rusticorum sepimenta lirasque, cum Sanctissimo pergebamus secreto ultima confessoribus fidei administrare Sacra menta, qui de barbara immanitate rossica moriendo triumpharent remittendo ejus debita, et ex his tenebris ad sempiternam lucem martyrum excederent.

V. Utrum in martyrologii opere testimonia producta essent justissima veraque?

Resp. In territorio decanatus mei Janoviensis, curati et vicarii erant quindecim sacerdotes, omnes vicini catholico ritus graeci populo, cum ipso conjunctissima societate viventes. Collegae mei erant mihi sincerissimo verissimoque auxilio in marty-

rologico studio meo, ut actionum imperatoriae missionis perquisidores justissimi, tutoresque simul populi fidelis et testes in periculis, ejus mirae patientiae et fortitudinis. Adjumento eorum sacro usus sum ab anno 1867 usque ad annum 1882, quo generalis Varsaviensis Gubernator Albedyński, me non tantum de Janovia et Podlachia, verum et de Siedlcensi gubernii limitibus ejecit, officio meo et beneficio destituens. Missio caesarea, quamvis ipsae difficilis esset clara de studio meo conjectura, tamen quodam odore suspicionis afflata, me ut intimum inimicum suum, cui in gubernio Siedlcensi locus vitae patere non debuisset, opinata est.

Populus fidelis catholicus graeci et latini ritus etiamsi suo perterritus cruciatu, subministrabat mihi singula vexationum perpessarum acta ab anno 1864 ad annum usque 1882. Et non tantum populus de decanatu Janoviensi mihi erat auxilio in colligendis vexationum factis, quas ipsi passi fuissent, sed fideles de aliis etiam Podlachiae paroeciis, exemplo suorum confratrum non raro deponebant mihi non compressis lachrymis, suas narrationes de persecutivis eorum fidem sceleribus, per missionem schismaticam ipsis, eorum fratribus, puberique eorum genti illatas. Eorum in confessione fidei constantiam, in cruciatibus fortitudinem admirabar, qui de effuso suo sanguine et vulneribus profide passis, gloriati essent, ad nova pericula cum gaudio mirabile parati.

Populo huic fidi, et ut ego dicam audax, sancto, Janovia, episcoporum vetusta civitas, purpurata confessorum fidei sanguine, quamvis tum esset episcopo orba suo, capitulo, juventuteque cleri sacra, attamen quadam vi attractiva, de praeteritorum pia memoria, in fidelem hunc populum agitante, huc eos advenire cogebat, et de societate eorum et testimoniosis fide dignissimis, plures ego, in martyrologio meo contexui paginas. Grato animo meo faciliores ipsis reddebam cum episcopo Lublinensi relationes et preces, ut auctoritate pastorali sua, liberos parentum latini ritus, fortuito usu, et persaepe magnorum frigorum hiemali tempore, in propinquis ritus graeci ecclesiis baptisatos, pro catholicis sui latini ritus, agnovisset.

Eheul Episcopi defensionem catholicorum, imperatoria missio improbabat, eosque ad schisma summo arcebat cruciatu.

Fideles jam narratione jam scripto consignatis factis defrebant mihi sua auxilia, scientes optime, quo fine sacro ab iis ea exigebam, et prosequabar studia mea. Nec pecunia, neque muneric donatione aliqua, praeter sanctorum parvis imaginibus, corrumpebam eos, qui ut sacramento obligati, erant prompti omni tempore ad jusjurandum deponendum, sua fide et conscientia ad veritatem enarrandam constricti.

Sacerdotes, de quorum instructione et testimoniis fide dignissimis, de martyribus Podlachiae in martyrologio plures notavi paginas, erant multi. Tenet me usque hodie nonnullorum eorum nominum memoria, quae hic adferre officium meum esse putarem, sed qui omnes jam mortui, testes sunt hodie Podlachiensium martyrum meriti in gloria Christi.

VI. Quo etiam probari posset de martyribus Podlachiae veritas? Qui vexationum pro fide et martyrum testes fideles?

*Resp.* Anno 1874 die 24/I vespere hora quarta, Janoviensis ipse politiae magister colonus Kutanin, qui eodem die ut caesareae missionis dux una cum colono Stein, fidelem populum ad schisma urgeret, de scena Pratulin citissime Janoviam reversus, de curru desiluit, ante portas Cathedralis ecclesiae transcuti mihi obviam occurrit, et perturbato animo, manibusque excussis, aspera voce exclamavit: „Vae mihi et vobis miseris! Colonus Stein *magnum numerum fideliū* in Pratulin, orantium penes suam ecclesiam, occidit et vulneravit, militum suorum armis“

Haec mea notitia erat prima de ipso caesareae missionis duce audita, quae me ut fulminis ictu feriit. Kutanin quamvis a gubernatore activus minister caesareae missionis nominatus esset, dehinc a dignitate sua se divertit, morbum simulans. Sed ejus vestigia ipsi aequalium nemo presserat.

Quum pars prima hujus martyrologii polonice anno 1905 Cracoviae in lucem prodiisset, Episcopus Lublinensis Jaczewski hoc tempore fideliū visitationem missionemque religiosam instituens, martyrologium librum meum secum comitem tenuit, et in quavis fere paroecia convenientibus ad se liberis et nepotibus mortuorū confessorum fidei et martyrū, iisque etiam qui mortuis vicini et superstites essent, examinabat sedulo eos, ut cognosceret, verumne esset, quod de mortuorum in fide con-

stantia, cruciatibus, de mortuis in tormentis, vel in Syberiam relegatis, in martyrologii opere meo expressum erat.

Finita pastorali missione, episcopus Jaczewski in suo palatio coram nonnullis canonicis, qui nunc jam mortui testantur in judicio Christi, haec edixit: „Author martyrologii fidelium Podlachiensium fidei sacrae, eorum confessoribus martyribusque, opere suo pérenne monumentum erexit, quamvis *decimam tantum partem in lucem protulerit eorum*, quae mihi fideles cum lachrymis et lamentis, de parentum suorum pro fide cruciatibus narrassent. Opus hoc horribilia quidem profert, sed omnia ut in visitatione mea perscrutatus essem, vere sunt scripta et certissima. Praeterea in libro hoc, decima pars tantum notata est confessorum fidei qui in Syberiam vel in abditas Rossie terras relegati essent.“

Judicium hoc episcopi, censeo, justa fuit recognitio mei operis et expressae eo veritatis, quodque judicium suum episcopus, quum me visitare dignatus esset in Garbow, paroecia mea, idipsum mihi iterando edixit Esto ego decimam partem tantum cruciatuum vexationumque fidelium libro meo expresse- rim, si colligere non potuissem plura. Saepe etenim consulto celare me debuisse multa, cum stupescente animo, manuque obtorpescente mea, non potuissem horribilia et fera imperatoriae missionis scripto meo inserere crimina.

Si ego quoque judicio episcopi Jaczewski et fidelium Podlachiensium relatione ipsi deposita, numero 269, decimam tantum partem notassem eorum qui in Syberiam pro fide relegati essent, nil mirum, nam perquisitiones meae in Podlachia continuaabant ad annum 1882. Ad 1905 annum certissime au- ctus est numerus eorum ad millenos exules, sed iam eorum album et historia me vitabat.

Testes fide dignissimi suo tempore erant certe confessorum martyrumque socii, itemque omnes fideles ante quinquaginta abhinc annos in Podlachia vitam et spiritum ducentes, ipsique pro fide cruciatus passi, cum quibus frequentia habui colloquia. Testes etiam aliquos superstites martyribus, anno 1905, ut superius notavi, vidi, audivitque eos sacra nostra catholica missio, cum suo episcopo Jaczewski. Episcopus tum eos diligentissime examinavit, ipsosque in album fide dignissimorum testium inferre

potuisset, sed quis tum praevidere, praesentireque ausus esset, vel mentem memoriamque suam excitare et referre ad possibilitatem tuturam anno 1924 Sacrae Beatificationis Podlachiensium pro fide martyrum, quum potentissimum tum Rossiae regimen genti Polonae ejusque Ecclessiae catholicae infensissimus esset hostis, et fidelium Podlachiae crudelissimus vexator? Memoriam facti improbissimi etiamnum servamus, quantas molestias expertus est f. m. Pius Papa IX divus noster Pater Tutorque, quum archiepiscopum Połocensem Josaphat martyrem, in Sanctorum Coelitum, regnique nostri Patronorum Ordinem retulisset.

Post annos quinquaginta a morte Podlachiensium martyrum emenos, testis esto historica martyrologica fidelis descriptio senio confecti, etiamnum viventis authoris, qui suo tempore per suos honestissimos scrutatores et excursores ad Podlachiae paroecias, civitates et rura vexatorum fidelium, sinceram factorum veritatem congerere, et martyrologio eam notare studiisset.

Loco testium sit publica continuaque laus, admiratio constantiae in fide confessorum martyrumque Podlachiae. Populus catholicus, Polonia tota cum suis Episcopis, Clero populoque fidi appellit, imploratque nostro tempore pacato, a Sancta Sede Apostolica Sacram Beatificationem pro fide Christi Podlachiensium martyrum, quorum ossa veneranda schisma rossicum in fossam ignobilem profanata dejecerat, ut honore nostro laudeque observata, in altaribus Ecclesiae Polonae collocari et coli possent, sintque nobis in Sacro Patronorum nostrorum Ordine coeleste praesidium ad beate vivendum, et auxilium in prucuranda pace Patriae nostrae, optimae filiae Sanctae Ecclesiae Romanae.

Caeterum, ut responsa mea in martyrii testium quaestione, cumulate persolvam, in memoriam Judicij Sacrae Rituum Congregationis revocare debo, illam tempore verno 1874 anni ad Sacram Sedem Apostolicam de Podlachia legationem actam, cui praeduces erant ritus graeci sacerdotes, de suis paroeciis et dioecesi per imperatoriam missionem schismaticam pro catholica confessa fide expulsi. In cuius legationis gremio erant et passi fidei confessores.

Accidit hoc post horribilem cladem in Drelow, ubi in coemeterio parochialis ecclesiae die 17/I 1874 anno de populo fidi

ad precem congregato, occisae sunt armorum plumbo tredecim personae et vulneribus concisae ducenti sexaginta, et in Pratulin die 24/I eodem anno in cocmeterio ecclesiae de populo fidi cantu preceque defendantे sanctitatem suaе ecclesiae occisi sunt tredecim et vulnerati ducenti octoginta.

Quum missio haec de cruenta fidelium in Podlachia vexatione et caede crudeli coram Sanctissimo Papa Pio IX fidissimis rem planam testibus fecisset, tunc Papa gravissimo hoc testimonio usus, ex infallibili Sua cathedra ad Leopoliensem Archiepiscopum Joseph Sembratowicz, simul et ruthenos Galiciae episcopos die 13/V ejusdem 1874 anni dedit litteras encyclicas „*Omnem Sollicitudinem*“ quibus admonuiteos de saeviente in Podlachia schismate, ursitque eos graviter, ut sacerdotes suos continerent instituto vigili, ne a sacra fide catholica et sancito ritu ecclesiae declinarent.

Praeterea, SS. Pater hac encyclica Sua fidelem populum Podlachiensem summa extollit laude, qui *praeclarissimum* (sunt xerba Pontificis) et *plane heroicum fortis et constantis animi spectaculum nuperrime Deo, Angelis et hominibus obtulit*, mala quaeque perpeti, atque ipsam vitam *in extremum discrimen maluit adduci*, quam *avitae fidei jacturam facere et catholicos dimittere ritus*.

Ecquis nostrum dicere auderet, quodsi tum Romae Podlachiensium pro fide martyrum Beatificationis judicium ad preces Poloniae institui posset, SS. Papa Pius IX supra eorum ossa in fossam ignobilem per schisma dejecta, martyrium palmarum ponere recusasset, Qui tunc jam infallibili voce Sua, litterisque Apostolicis, confessionem fidei mortemque Podlachiensem, *praeclarissimas et plane heroicas salutare esset dignatus*?

Cum ego celebrem hanc Pii Papae IX encyclicam cum gaudio legisse, justa laude fidem hujus Podlachiae populi extollementem, qui in quieta defensione fidei et sanctitatis suaе Ecclesiae, tormenta vitamque suam „*Deo et Angelis*“ heroicē offere non dubitaverit, hoc me vel maxime accinxit ad notarii studia et observationes speciales, quae stricte ad critices normam erant judicatae.

Alterum impulsuм martyrologii texendi, suppeditarunt mihi narrationes, depositaque testimonia scripta ipsius populi fidelis passi, latini et graeci ritus, cui mors martyrii pro confessa fide

continuo ob oculos versabatur, cujus argumenta et testimonia certissima gravissima censui, et hoc me etiam impulit memoriae posteritatis historiam sanguinolentae vexationis fidi in Podlachia populo, per rossicum regimen illatae, consignare scipto.

VII. Ultima Sacrae Rituum Congregationis quaestio, ubi locorum essent Podlachiensium martyrum sepulchra?, in rem difficilem et inexplicabilem me conjecit.

*Resp.* Pagani olim vexabant christianos ut homines barbaros eorum iudicio, religioni, cultui, eorumque diis noxios, eosque ut perniciosos etiam eorum patriae, morte in cruciatibus delebant. Sed corpora eorum a feris dilaniata, cruciatibus trucidata, vel in rogis combusta, dein in fossas, campos extraurbales, in fluvios projecta, negligebant. Unde christianis erat facillimum, martyrum corpora medio noctis silentio congerere et in coemeteriis sacris religiose recondere. Quae martyrum ossa veneranda hodie in Ecclesiae universae altaribus reposita, in magno sunt fidelium honore. Memoria martyrii eorum pro Christi fide, auget fidelium religionis ardorem, aestumque charitatis Dei inflamat.

Verum caesarea rossica missio schismatica, non homines solum quietos, sed fidem ipsam Christi in catholicis summo vexabat cruciatu. Unde occisi pro sacra fide militum plumbo, kozakorum flagris, politiae tormentis, aliisque varii generis vexationibus, vel in carceribus foetidis putrescentes pro fide, ibique mortui, eorum omnium exanimata corpora, caesareae missionis erant propria. Quae a conducto popa schismatico ejusque ritu benedicta, militum et kozakorum ope in depressas projecta fossas deinde humo injecto, pedibus calcato, soloque fossae aequato, sepultura hac abjecta afficiebantur.

Hoc facto, missio caesarea impediebat, ne civitas, rus, villa familiaque martyris, eum lachrymis oppletret, sepulturam conduceret publicam, et ne caesareae fidei hostes, ad mortem martyribus similem se concitarent. Unde factum, quod sepulchra Podlachiensium martyrum certissima sunt numero per quam pauca, quae sciant hodierni eorum nepotes.

Caesarea missio repulit fideles a tredecim corporibus martyrum, militum plumbo occitorum in Pratulin et Drelow. Milites cum kozacis, jussu missionis ducis de manibus fidelium conge-

stum una cum nive sanguinem martyrum, vi extorserunt, calcatumque pedibus et profanatum in coemeterio ecclesiae disjecerunt. Tandem communem effoderunt fossam, et ibi injectis occisorum corporibus, repleteoque aggere, solum aequarunt. Sepulchra tredecim martyrum in Pratulin, et Drelow, devotis fidelibus et piis exterorum peregrinationibus patent. Martyres foeminae vel viri, si in tormentis vitam cum morte non commutassent, liberorum vel nepotum suorum, vel saepe non valentibus puberum brachiis domum adportati, studio sacerdotis catholici noctu et secreto Sacramentis Ultimis procurata anima, altera vel tertia die dimittentes debita inimicis fidei, in felici pace moriebantur. Eorum corpora sepeliebantur cura piissima familiae vel vicinorum, noctu et secretissimo modo. Locus tumuli erat occultus et solum amicis notus.

Si contigerit aliquando ut politia talem martyrem de manibus familiae vi eriperet, et eum ad popam adportaret, qui absolutionem suam funeris supra mortuum adimpleret, et eum post mortem in schismaticorum gregem perduceret, tunc popa ira incensus, odiosis maledictis et diris exsecrationibus in caesareae fidei contemptores, in politiam et in seipsum etiam devovebat, consveta dicta balbutiens: „Sacerdos catholicus furatus est animam mortui, et vos me cogitis, ut benedicam et caesareae religioni aggregem foetidam ejus morticinam!

Absoluta benedictione corporis defuncti martyris una cum consveto popae maledicto, politia jam ipsa sepeliebat martyrem in designato a ministro missionis loco, nullum admittens testem catholicum.

Unde ad quaestionem Sacrae Rituum Congregationis, ubi singula Podlachiensium martyrum corpora essent deposita, respondere scientiam meam fugit.

Hic notare necersarium esse censeo, eadem martyrologica testimonia et responsa mea ad quaestiones, anno praeterito coram Podlachiensis Episcopi delegato, Praelato Protonatario Apostolico ad instars juramento meo firmavi. Sed si Sacrae Rituum Congregationi necessaria visa esset juramenti mei renovatio et confirmatio sacra praesentis testimonii mei et responsi, mediante Praecellentissimo Episcopo Podlachiensi, omnes notas has meas martyrologicas iterum jurando devinciri possum.

## Pars Posterior

### Brevissima Podlachiensium 104 martyrum historica recensio.

Historiam constantiae in fide confessa, mortemque gloriosam Podlachiae martyrum, Sacro Judicio etsi pausissimis proferre verbis necessarium esse puto, quum in compendiario martyrologio meo de 1921 anno, nonnulla conspexerim obliterata, quaeque martyrum efferant merita, conferantque ad inclyta iudicia, justissimaque decreta.

Martyria fidelis Podlachiensis populi percensendo, referre cogimur, quod non tantum rutheni ritus graeci pro fide catholica vexationis schismatica sustinuerint molem, verum etiam infesto erga catholicos Polonus caesarea missio odii occaecata furore, et ipsos, ritus latini, armis neceque ad sua schismatica amplectenda trahebat. Polonorum ritus latini victimae erant sequentes:

1-o. Hi omnes, qui infantes fortuito usu, summorum frigororum hiemali tempore, vel aestivo labore segetum, in propiore ecclesia unitorum baptisati essent.

2-o. Qui etsi baptisati in ecclesia latina et instituti essent, sed geniti de parentibus mixti ritus. Horum omnium vis erat summa, praesertim incolae oppidorum, civitatum, villarum eam augebant. Hi fere dimidium numerum Confessorum martyrumque pro fide sacra obtulere Christo. Amore Christi, patriaeque studio perciti, adjutique fortitudine Coelesti, ruthenis fratribus suis Unitis, consanguineis et affinibus ardoris animi, charitatis fidei, docilitatis in responsis, constantiae, in cruciatibus mirae patientiae, exemplar praestare valebant, unaque cum ipsis fiebant hostia Deo.

Exinde certissimum est, ruthenum in Podlachia catholicum populum, una cum polona catholica gente devota latini ritus, parem in fide defensa, martyrii laudem meritumque partiri caeleste.

1. **† Conradus Kožuchowski** de paroecia Ortel. Colonus Devel caesareae missionis magister, venit in Ortel, et vocavit ad se Conradum, qui in sua paroecia praestaret aliis ratione, morum integritate. Cujus auxilio atque ope, statuit Devel pertinaces catholicos ad obedientiam schismatico regimini adducere.

Cum tamen prima persvassione sua, nihil apud Conradum effecisset, comiter tentare eum coepit in manus ejus pecuniarum fasciculum inserens, et promittens conciliandam gratiam ac tutelam regiminis, ipsi et natis ejus praestandam.

In vanum Devel cecinit. Elusus ab homine rustico in insaniam vertitur. Renitentem catholicum aggreditur furenter, maledictis ac pugnis eum consindit, sauciat caput, vultum opplet plagis, tandem sanguine et lachrymis profusum, pedibus feritum extrudit foras. Summa tum excandescens ira in Białam revertitur.

Expleto brevi tempore Devel venit iterum cum exercitu pedestri, duabusque kozakorum centenis. Item advocat nostrum confessorem Conradum, asperime tum invehere coepit in eum, quod ipse constitueret in paroecia obstaculum religioni caesareae oppositum, venisse se, adjecit, ut perrumperet et tolleret hoc impedimentum. Cum vocatus se justum et pacificum declarasset, Devel ferocitate efferbuit, et denuo manus suas crudeles in Conradum injectit. Contusis ejus dentibus et maxillis, dilacerata facie, evulsis capillis, hominem pro fide vexationis sanguine fluentem, ferreis cinctum vinculis, in carcerem Białensem detrudi jussit.

Incarceratos in hac civitate pro fide sacra, visitare non est dignatus ipse Popiel rector intrusus dioecesis Chełmensis. Tum primum summis coepit eos extollere laudibus, quod essent fideles, probi et devoti. Deinde docuit, fidem nostram debere esse purissimam. Admonebat igitur eos ut rejicerent *lacinias*, id est, scapularia quas in pectoribus gestarent suspensas; ut auferrent ridiculas *catenas*, id est coronas et rosaria sacra, quibus se ipsos in collis cingerent ut desisterent a precibus, cantu, linguae polonae usu, cum linguam rossicam praeclararam et castam haberent. „Est necesse, ait, ad meliorem vos recipiatis modum vivendi, ad meliorem fidem, ejurata polona, et ad obedientiam caesari veniatis, tum a funesto hoc carcere liberi eritis“.

Catholici incarcerati prompto duce Conrado Kożuchowski tunc responderunt magistro suo: „Jam verum est, et ipse tu domine dicis, et vides, quantas molestias pro sancta fide catholica nostra patiamur. Jam dentes habemus evulos, maxillas fractas, laceratas facies pugnis et feris magistrorum officialium digitis. In capitibus nostris continuus resonat strepitus, intolerandus in

auribus sonitus effectus tormentorum capitis, capilli evulsi, et kozakorum flagris totum dilaceratum corpus. In carceribus diu noctuque ducere sine ulla liberationis spe vitam, difficillimum est nobis. Sola nos gratia Dei indignos sustinet. Scapularia B. V. Mariae, rosaria, sacrae preces, quos fundimus humiles, unico sunt nobis adjutorio. Nihilominus malumus potius in hoc carcere foetido putrescere ac vita dissolvi, sed fidem nostram catholicam libere fateri pro eaque omnia pati, decernimus, quam libertate donati fieri Iscariotae, proditores conscientiae ac religio-  
nis patrum nostorum.“

Ad haec Popiel ad colonum Devel conversus dixit. „Si ita omnes incarcерati cogitant et dicunt ut hic audax homo, jam nihil illis miserius fieri potest. Jam spiritus catholicus et polonus animos oorum circumfluxit. Rosaria et scapularia salvent eos.“

Expleto anno Conradus de Bialensi carcere cum pluribus suis fidei sociis in duriorem carcerem Siedlcensem missus est, ibique corpore tumens ac putrescens, brevi post mortuus est, inimicis et persecutoribus facinora in se admissa remittens. Ubi Conradus Kożuchowski a kozakis sepultus sit, incertum.

2. † **Basilius Głowacki** martyr. Alter hujus parochiae Ortel confessor fidei clarus, ob constantiam fidei praestitam, tribus vicibus jussu magistrorum missionis caesareae affectus suppliciis, kozakorum ad mortem caesus flagris, vulneribus fractus, noctu eodem die decessit de vita.

3. † **Dominica Stasiuk** de pago Vorgule, memoriae immortali pro fide Christi defensa tradenda est. quae fidem illibatam servans, et prolem suam parvulam jam in ecclesia catholica baptisatam p̄ae baptismō schismatico salvans, ita crudeliter flagellis coesa est et vulneribus oppleta, quod una cum prole sua, cruciatu suae matris perterrita, postero die catholicam animam suam Christo reddidit fidellimam.

4. † **Petrus Stasiuk** pro fidei sacrae constanti professione, a kozacis flagris caesus, vulneribus aegrotus summa debilitate membrorum captus, in miseria vitam finivit tempore brevissimo, inimicis debita remittens.

5. † **Agata Szysz.** Cum vir ejus pro fide Christi acriter verberatus, in carcerem Siedlcensem detrusus esset, ipsa sever-

rine a militibus caesa, purpura sanguine vulneribusque confecta, in morbum incidit, et die tertia spiritum suum Deo reddidit catholicum.

6. **† Marianna Stefaniuk**, juvenis foemina juncta Cracoviae matrimonio catholico. Inde reversa, a militibus ducta est per vim cum marito suo ad popam schismaticum, a quo ejus ritu benedicerentur. Renitentes ambo tam crudeliter a militibus vexati sunt et vulnerati, ut in morbum gravissimum ambo incident ac supremum Marianna obiisset diem die altero. Maritus ejus supervivens, in carcerem Siedlcensem missus, exinde Rosiam relegatus est.

7, 8, 9, 10. **† Joseph Koniuszewski** cum uxore sua et duobus natis suis, de villa Kłoda. Quae parva villa parocciae Horbów, testis erat luctuosi ac miserabilis facti, quod ad finem vergente an. 1874 accidit et usque ad hodiernum diem ex fidelium animo memoriaque ejus non excessit.

Familia catholica Koniuszewski pro sua „*contumacia*“, in fide vexati, cum prolibus suis in carcere crebro detenti, kozakorum flagris publice caesi, pecuniariis poenis in re domestica devastati, post aliquot dies piae quasi recollectionis nihil ipsis fortassis deliberatus erat, quam vitam propriam suorumque puerorum, velut si hostiam immolare Deo, et in misericors Ejus venire judicium. Quod propositum inflexibili animo exsecuti sunt.

Uterque conjunx Koniuszewski se ipsos una cum prole sua ad rogum ignis voluntarie damnavit, mortem animae, schisma ejusque tormenta, quae jam passi erant, et futura pejora evitantes, consulto horridam atque voluntariam mortem corporis sibi conciverunt<sup>1)</sup>.

Ad locum inanditi hujus eventus, mox venit politia cum judicibus, medicis, universoque apparatu inquisitorio, ad videntem hoc factum humanam fidem excedens, ejusque investigandam causam. Sed causa mortis hominum horribilis, omnibus tum patuit, ut audacior quidam fidelium judicibus ingenue declaravit verbis: „Si pro fide nostra catholica non essemus tormentati, non haberemus ejusmodi martyria, quae nunc videmus.“

<sup>1)</sup> Martyrologium Podlachiae pag. 40 — 41.

Quod factum fulminis ictu de coelo percussit omnes atque eorum fidem reddidit firmissimam. Plurimi de longinquis tractibus undique confluebant, ut quid evenisset viderent, oratione lamentisque suas et combustorum animas misericordiae Dei genuflexi commendabant.

11. **† Antonius Tyszkowski** civis et civitatis Janoviensis quondam magister, batini ritus homo fide sacra et moribus praestans, pro fide catholica tuenda, Janoviae ante ostium cathedralis ecclesiae cum aliis fidelibus flagris caesus, oppletusque vulneribus, missus est in carcerem Białensem. Exacto anno relegatur iu carcerem Siedlcensem, dein annis duobus expletis in carcerem Brestensem missus, tandem sex annis ibi gravissimae poenitentiae expletis, tormentis continuis gravique infirmitate confectus, missus est in Rossiam, sed in itinere supremum diem obiit, Christo offerens vitam et confessorum fidei crux suam.

12. **† Luca Bojko** de villa Zaczopki. 13. **† Constantinus Bojko** de eadem villa. 14. **† Philippus Kiryluk** de Zaczopki. 15. **† Maximus Hawryluk** de Derlo. 16. **† Vincentius Leoniuk** de Skrzyczew. 17. **† Daniel Karmaszuk** de Łęgi. 18. **† Bartholomaeus Osypiuk** de Bohukały. 19. **† Anicetus Hryciuk** de Zaczopki. 20. **† Onuphrius Wasyluk** de Zaczopki. 21. **† Ignatius Franczuk** de Derlo. 22. **† Joannes Andrzejuk** de Derlo. 23. **† Michael Wawryszuk** de Olszyn. 24. **† Constantinus Łukaszuk** de Pratulin, omnes parochiani Pratulinenses.

Catholico hujus paroeciae parocho missionis caesareae jussu rejecto, regimen paroeciae a gubernatore popae schismatico de Galicia adducto traditum est. Parochiani ecclesiam suam signis ac ritibus schismaticis impollutam, vigiliis suis, prece, devoto cantu et custodia munierunt, ut schismaticum popam prohiberent aditu.

Haud perterriti sunt parochiani exercitu eos atque ecclesiam suam circumvallante, nec pedem moverunt humique prostrati jacuere omnes, cantu sacro precibusque ecclesiam et se ipsos hostiam voluntariam offerentes Deo. Et quum ad primum alterumque militare signum tuba cantum, ut ab ecclesia recedentes de coemeterio exirent, parochiani non paruissent, sed in lachrymis et maxima vocis contentione divinos suos continuarent cantus

precesque, haec vox desperata Deum supplicantis populi, non percussit inimicum catholicae fidei atque nationis polonae. Stejn colonus teutonus luteranae fidei homo, ira et superbia incensus, milites suos mortalibus armorum telis, populum inermem, pium orantemque ferire jussit. Occisi sunt tum tredecim, vulnerati vero ducenti octoginta.

Tunc occisorum corpora de terra fideles levantes, magna ad carnifices prece exclamant. „Date et nobis consimilem geminamque mortem!.... Mori pro sancta Ecclesia et fide catholica desiderium est nobis et vital.... Vita vobiscum cruciantibus Ecclesiam Dei, diabolica mors est non vital....<sup>1)</sup> Quae caedes forsitan continuaretur, sed miles quidem ex adverso, ex armis suis mittens mortifera in fideles tela, casu fortuito percussit atque suum occidit commilitonem. Perturbatione inter milites exorta, Stejn metu percussum, tormentum maxima cum saevitia in parochianos inceptum, jam prosequi non est ausus. Jussu ejus sepimentum ligneum coemeterii ecclesiae securibus militum ruit caesum, et milites cum kozacis in fideles irruentes, gladiis, verutis flagrisque, exire eos a parietibus ecclesiae cogunt, invitatos, viros ac mulieres funibus convulsos e parietibus ecclesiae in plateas extrahunt, ac valvas ecclesiae violenter reserant. Talis erat introductio popae schismatici Galicjani in ecclesiam Pratulinensem.

Rus Pratulin in generale nosocomium est versum. Plures vulnerati laeto animo ad meliorem cum Deo et fratribus suis occisis redierunt vitam, sed nomina eorum non sunt adnotata. A corporibus occisorum martyrum caesareae missionis magister Pratulinenses parochianos repulit, militesque suos jussit profundam amplaque effodere scrobem, et ibi occisorum dejectis corporibus tredecim, fossam sabulo complere, terram aequare et solum pavire. Quod sepulchrum Pratulinensium martyrum ab anno 1915 et praesertim bello finito a fidelibus devote et frequenter visitatum est.

25. † Joannes Kimicki. 26. † Catharina Piałucha de villa Szpaki. 27. † Joseph Moro de villa Valim. 28. † Joannes Piałucha de Kornica. 29. † Antonius Karpiński.

<sup>1)</sup> Martyrologium Podlachiae pag. 48, 49, 50.

30. † David Szysz. 31. † Procopius Suszka. 32. † Felix Peczyński. 33. † Andrea Jaworski. Omnes parochiani de Kornica.

Quam paroeciam clades gravissima invasit, postquam die 19 Decembris a. 1874 sexenti pedites una cum ducentis kozacis Kornicam venerunt. Dux missionis caesareae capitaneus Klimenko, parochianos, purissimam fidem caesaream suspicere detrectantes, jussit omnes kozakorum loris puniri.

Sacri pervaigilii noctu, Klimenko mandavit ut parochiani detecto capite, in prato conglaciato frigore vigilarent, kozakorum circumsepti turma. Et nunquam fortassis catholici populi tanto ardore et precum suarum studio, pro fide confessa torti, Sacra-tissimam Nativitatis Jesu Christi vigilarent noctem, suas Ipsi plagas vexationesque offerentes.

Ipsa autem die festi Nativitatis Domini, ad cancellariam magistratus convocavit Klimenko fideles, eisque dixit: „Cum velitis esse catholici et poloni, hodie et sequentibus diebus in gratiam hujus festi, accipiatis necesse est centum kozakorum flagraviri, foeminae et juvenes quinquaginta.“ Quod tormentum homo truci ingenio continuavit usque ad vigesimum septimum januarii.

Sed crudeliora sunt secuta altero missionis duce, capitaneo Gołowińskij, qui locum Klimenko occupavit. Ferae similis is erat non homini, omni diritate atque immanitate teterimus, quippe qui dilaniaret confessorum corpora usque ad mortem, sed missionarium opus suum haud promovit. Confessores quo-vis die de albo suo ordine vocati, adveniebant, vel vulneribus perstricti et infirmi, kozakorum brachiis in theatrum activae missionis adtracti, et interrogati erant a Hołowińskij, utrum jam essent parati catholicam ejurare fidem. Responso negativo dicto, confessor fidei jam tortus, iterum cruciabatur, sed in pectore, ventre, in dorso suo, ut catholicus fidelis ad exemplar Divi Redemptoris, pro fide Ejus, in toto corpore dilaniatus esset. Si infirmi non potuissent de lecto moveri suo, Hołowińskij invisebat eos lustrando, quaerens, utrum jam nomina sua caesareae fidei dare vellent. Et quum jam morti proximi respondissent, se tantum unum desiderare, ut catholica anima sua starent in judicio Dei, ferus iste caesareae missionis miles, impuberes liberos kozakorum flagris in oculis parentum caedi jubebat, vocem

commimatoriam contendens „parvulos senesque vestros occidam,  
si polonam non ejuraveritis fidem.“

Tunc confessores graviter respondebant: „Facilius tibi nos  
occidere vides, quam nobis Deum Ejusque sacram derelin-  
quere fidem.“

Exspiravere tunc animam catholicam in tormentis novem martyres supra positi, jussu Hołowiński distinete per kozakos sepulti.

34. † Rosalia Czajkowska. 35. † Elisabeth Czajkowska.  
36. † Maria Stefaniuk. 37. † Oxenia Ryżkowska.  
38. † Maria Czajkowa omnes foeminae martyres de paro-  
ecia Mszanna.

Cum mense junio a. 1871 ejecto de paroecia parocho fi-  
deli, a gubernatore collocatus esset in paroecia popa schismati-  
cus de Galicia advena, piae foeminae parochiales, ad confrater-  
nitatem S. Rosarii pertinentes, obviām huic popae prodeuntes,  
lachrymis diffuentes pacifice et humaniter dixerunt haec: „Pa-  
rochia nostra catholica et nos omnes catholici sumus, in sinu  
Sanctae Romanae Ecclesiae repositi, et a proavibus nostris per  
Sanctos Pontifices Romanos benedicti. Tu vero, Domine, de  
infelici Galicia advenis schismaticus, a schismatico regimine ad  
nos missus. Rogamus te precario ne intres in Ecclesiam nostram  
catholicam, alioquin fratres nostri Rosarii S. statuerunt te de  
Ecclesia nostra et domo parochiali ejicere.“

Abjecta omni cunctatione, ducis missionis caesareae jussu,  
kozaci et politia in coemeterio Ecclesiae sacro, foeminas pro-  
stravere devotas, et ad mortem usque eas cecidere flagris. Postea  
occisarum corpora ludibrio exponentes perfundebant aqua. Per  
milites jussu missionis caesareae magistri hae foeminae, marty-  
res pro fide, in communi scrobe sepultae sunt in ecclesiae coe-  
meterio ad quarum ossa piae peregrinationes fiunt, de anno 1918.

39. † Josaphat Hryciuk. 40. † Paulus Justyciuk.  
41. † Lewczukowa foemina. 42. † Paulus Ignaciuk juvenis  
sedecim annorum, omnes de paroecia Prochenki.

Paroecia haec ab anno 1867 continuo vexata fuit usque ad  
annum 1875. Quo anno d. 15 februarii venit dux caesareae  
missionis crudelis Klimenko cum pedestri exercitu quadringen-  
torum militum, et equestri totidem kozakorum. Qui omnes ca-

tholicos congregatos ad respondendum cogebat, num destinatum popam essent suscepturi, et religionis caesareae festa observaturi. Responso parochianorum negativo accepto, summa excanduit ira omnesque excruciali kozakorum flagris jussit. Flagellationis hoc tormentum quotidie per totam diem a prima luce ad vesperam usque, ad primam diem martii repetitum est. Qui parochianorum aufugerit, vel vocatus non apparuerit, duplicatam patiebatur poenam. Infirmi quoque nec non viribus fracti senes, in statu missionis adportandi erant vel curru advehendi, qui inflictis loris in anteriore corporis parte, remittebantur cum maledicto consveto missionis caesareae ducis, ut fidei catholicae confessor quampnum periret.

Et quamquam ex flagellationum supplicio continuato, omnes parochiani ad vulnera, longinquum morbum, etiamque ad extremum vitae adducebantur periculum, nemo tamen eorum adjuvante Christo, diis alienis incendit thura.

Sed Klimenko alium cruciatus fidelium excogitavit modum. Siquidem a prima die mensis martii, omnes catholicos congregari jussit in loco, ubi procella densam nivem effuderat. Separatis viris a mulieribus praecepit kozacis uti omnes parochianos in ordinem lineatum redigerent, tegumenta de capitibus abjici, et contra ventum eos ac nivem immobiliter stare juberent, a prima luce usque ad extremam diei vesperam quotidie, etiam festis et dominicis diebus. Quod tormentum fidelium ad tres permansit hebdomades.

Pro fidei confessione flagris kozakorum in tormento occisi sunt quinque personae in hoc paroecia superius notatae, omnes fidei Christi ardoris et integritatis vitae exemplar praestantes, per kozakos sepulti.

43. † Joannes Maciejuk. 44. † Alexander Lewczuk.  
45. † Demetrius Krzysztofiuk. 46. † Paulus Denisiuk.  
47. † Ignatius Filipiuk. Omnes hi, morum integritate et amore catholicae fidei insignes, de paroecia Witulin, in generali catholicorum vexatione, saeviente caesareae missionis duce Klimenko, cruentas quaestiones passi, vulneribus acceptis et debilitate corpore inimicis remittendo debita die altera e vita excesserunt pro caesareae fidei invidia. Per kozakos sepulti.

48. **† Joanna Czyżyk** devota et pia puella devilla Horoszki paroeciae Gnojno, octodecim annorum juvenilis, sanguinis sui pignore Christum testata est in generali paroeciae vexatione anuario 1875 anno. Puella haec quae cum sanctitatem fidei catholicae coram duce missionis laudasset impavida, bis crudelissime per kozakos caesa, corpore flagris perstricto vulneribusque oppleto, altero die vitam pro Christo profudit, venia data inimicis Christi. Sepulta secreto in coemeterio.

49. **† Nicephorus Gereło** incola de villa et paroecia Swory fidei et morum vitae exemplar, sexaginta annorum senex in generali pro fide Christi vexatione paroeciae, flagris kozakorum vulneratus, jussu magistri missionis curru deportatus in carcerem Siedlcensem, ut homo influens et in paroecia honorabitis, brevi in carcere mortuus est, sepultus a militibus.

50. **† Euphemia Mikołajczuk** de paroecia Krzyczew, foemina pia, devota, sanctitate vitae conspicua, in vexatione pro fide Christi paroeciae suae, crudeliter a kozacis caesa, cruentis vulneribus confecta, brevi obdormivit in Domino, inimicis suis dimittens crimina in se admissa, Sepulta a familia sua.

51. **† Joannes Kościuszek.** 52. **† Theodorus Kościuszek.** 53. **† Vincentius Bazyluk.** 54. **† Paulus Kozaka.** 55. **† Theodorus Bocian.** 56. **† Simon Pawluk.** 57. **† Andrea Charytoniuk.** 58. **† Trochimus Charytoniuk.** 59. **† Joannes Romaniuk.** 60. **† Onuphrius Tomaszuk.** 61. **† Andrea Kupik.** 62. **† Joannes Kupik.** 63. **† Joannes Łuciuk,** hi omnes tredecim martyres, fide Christi morum probitate conspicui, de paroecia Drelow incolae. Ab anno 1866 usque ad annum 1874 omnes pro fide Christi et continuatas vexationes passi sunt.

Quum 17 jannuarii an. 1874 parochiani circumvallavere ecclesiam suam, custodientes eam sua piissima prece et cantu exercitus pedestre advenit sexcenti milites, et ducenti kozaci cum missionum duce districtus praefecto Kotow dicto. Qui jussit populum ut discederet, ut valvas ecclesiae aperiret, et a gubernatore popam missum honore debito salutaret.

Contra dicentibus parochianis, Kotow ira excandescens, omnes viros et foeminas funibus convelli jubet, ac religatos de-

coemeterio extrahi in plateas. Laqueos sibi injici passi sunt parochiani, ab ecclesia tamen sua et de coemeterio nemo est vi extractus. Tum milites pedestres dato signo primo et altero tuba canto, quum populus devotus in terram prostratus sacros hymnos ad Deum maxima vocis contentione supplicasset, explentes jussa Kotow ducis sui, inermem populum mortalibus suis armorum telis ferire coeperunt. Cum multi nimirum inter milites invenirentur poloni et catholici, ea supposita ratione, occisae sunt tredecim personae, et vulneratae plus quam ducentae.

Mox jussu Kotow kozakorum ac peditum in populum fidellem ruit exercitus, qui viros, mulieres juvenesque obruit flagris, pugnis, funibus, armis. Sepultis per milites tredecim confessoribus fidei, cum milites solum et kozaci circumvallarent ecclesiam, foribus ejus effractis intraductus est popa schismaticus.

In vanum Kotow quaerebat ex parochianis, ut jurarent, se nunquam fore inobedientes caesari, ejusque popam honore debito observaveros. Una et magna voce responderunt ei confessores fidei: „Nunc nos pro fide sacra et nostrae matris ecclesiae defensione praximos morti fecisti. Sed si voluntate Dei eruptas vitae recuperaverimus vires, popam schismaticum nunquam parochum nostrum agnoscemus, et praesentia ejus profanatam ecclesiam nostram dimittemus“.

„Maledicta sit catholica et Polona anima“ incensus ira exclamavit colonus Kotow.

Plures graviter vulnerati, noctu, altera et sequenti die sunt mortui, sed nomina eorum non sunt notata.

64. † Simon Jozefaciuk de villa Manie, paroeciae Międzyrzec fidelis, incola septuaginta trium annorum senex, anno 1874 una cum fratribus suis parochianis, plures vexationes est passus, ab anno 1867 usque ad 1875 annum.

Tandem 1874 anno 24 decembris, in Międzyrzec venit missionis caesareae magister Kotow, qui congregatis in locum spatioum parochianis, dixit ad eos: „Nolo in colloquio vano vobiscum terere tempus. Ecce campi hujus partes duael haec dextera illa lacval In dexteram veniant oves mites, dociles, quae caesaris fidem sacram in silentio suspicere, ecclesiam suam frequentare, et a catholica fide suum abducere animum sint pa-

rati. Laevam partem illam occupent, qui natura animi sui hircos olent, et in conservanda sua fide polona sunt contumaces“.

Qualis admiratio atque stupor eum oppresserit, tenueritque defixum, cum omnes foeminae et viri, senes et juvenes ab anno 14-o suae vitae, in partem sinistram venissent, dicentes: „Haec pars in terris sit nostral! In ea volumus hirci esse pertinaces et inflexibites in nostra religione, gravissimasque pro nostra constantia ex judicio caesaris reddere poenas, quo facto possimus in supremo Dei judicio partem tenere dexteram ovium Ejus electarum!!!

Docebo vos ego seditionis stimulatores!!! voce ranca exclamavit magister Kotow. Infracta patientia populi catholici, missionarius caesareae voluntatis, Kotow mentis non compos videbatur, iraque accensus contundebat pugnis catholicos, ut eos ad sacra caesaris attraheret. Victimam odii ejus furibundi se praebuit jam supra dictus *Simon Jozefaciuk*, de villa Manie incola septuaginta trium annorum senex, vir sobrius et honorabilis, prudentia, fide omnibus praestans, qui jam cruciatu pro fide oppressus et vulneratus, in cancellariam caesareae missionis ducis, in Radzyń vocatus est. Kotow singularem ei caesaris gratiam, ejusque familiae auxilia offerens, postulabat pervicaciter, ut vicinorum suorum parochianorum animos impelleret, ne temere supremae caesaris voluntati resisterent, et sacra rossicae fidei amplecterentur.

Senex Jozafaciuk vir probus ac simplex censuit hominem prudentem ac pacificum secum loqui, simpliciter igitur respondit ei his verbis: „Magnifice Domine! Ista manus meae per totam vitam gravi et honesto exercebantur labore. Quotidie mane et vespere attollebam eas humili prece ad Deum, in illis gestabam filios et nepotes meos, eosque sacrae catholicae fidei nostrae veritates sacras docebam. Quomodo ergo exquirere a me potes, Domine, ut has manus commaculem subscriptione mea fidemque suscipiam quam ignorem, qnam timeo, nec cognitam velim!“.

Kotow, qui patiens audire verba senis videbatur, sensim succubens odio et indignationi furenti, de loco exsiliit suo, accurrit vehemens, senemque pugnis humi prosternit. Pedibus eum ferit tanquam brutum rabie infestum, vulnera senis in fla-

gellationis pro fide periculo jam accepta et parum coita, calcibus furenter renovat, vulneribus pectus, caput ac ventrem senis catholici opplendo novis. Cum corpus senis sanguine sparsum et fere exanime videret, convulsum funibus jubet in carcerem detrudi. Sed quum perspexisset de fenestra sua, senem fractum viribus et officio pedum carentem, militumque brachiis portari, jussit eum solvi funibus, liberatumque domum remitti. Sed equos de curru liberati Simonis sejungere praecepit et publico vendere mercatu quae poena pro caesareae religionis „contemptu“, in aerario missionis deponeretur.

Senex sauciatus vix adrepsit ad suum jam sine equis currum, et humi semivivus, jacuit. Inventus est Samaritanus quidam, qui senem derelictum studiose in suum vehiculum transtulit eumque domum pervexit. Jozafaciuk pro confessione suae fidei vexatione viribus fractus, post tres dies spiritum suum catholicum Deo reddidit, in coemeterio per suos sepultus, relinquens ipsis exemplum thesauri fidei catholicae in periculis observandi.

65. † **Basilius Iwańczuk.** 66. † **Semen Iwańczuk** de parochia Dołha, fide catholica et probitate morum ut omnes parochiani praestantes. Omissis ab anno 1867 vexationibus anno 1874 exeunte duce missionum notissimo nobis Kotow, exercitus ducentorum kozacorum, et quadringentorum pedestrium istam paroeciam per duos menses obesus funditus devastavit, et incolas pro caesareae fidei contemptu crudeliter cecidit. Primitiae hujus persecutionis fuere memoratus supra *Basilius Iwańczuk*, gladio kozaci dissecto capite trucidatus, nec non *Semen Iwańczuk* post tormenta missus in carcerem Brzeć, ubi saepe pro fide caesus catholicam animam Deo reddidit. Sepulti per kozakos.

67. † **Apolonia Lis.** 68. † **Joannes Łopaczuk.**  
69. † **Theodorus Wojciuk.** 70. † **Nicolaus Kloniuk.**  
71. † **Joannes Lis.** 72. † **Paulus Wilgórski**, omnes de paroecia Hołubla martyres, fide et morum sanctitate noti ut eorum tota paroecia.

Cum vexatio paroeciae ab anno 1867 nihil effecisset, colonus Kaliński 1872 anno cum Kozacis ducentis Hołublam venit,

et omne quod erat catholicum, caesarisque retigioni contrarium de eorum ecclesia ejici jussit. Tunc parochiani congregati penes valvas eccleiae suae humiliter rogabant colonum ne res sacras a patribus suis Deo oblatas, imagines Sanctorum, vexilla, altaria cum Ciborio Sanctissimo ejicere kozacis permitteret.

Sed cum kozaci coeco et sacrilego in res sacras involascent impetu, parochiani ut sacrilegam kozakorum actionem impedirent, magno fortique animo restitere et conclamarunt: „Prius nobis baculis vel ferro eripite vitam, tum demum cadavera nostra vestris pedibus calcando, ejicietis de ecclesia nostra sacra catholica“.

Quae insolens, atrox, atque audax parochianorum vox interjectionis, kozacos ita defixit, ut prae stupore obmutuerint, nescientes quid sibi agendum esset. Sed Kaliński voce hac viva sacraque populi catholici non est attonitus, immo vero evaginari gladios iisque pungi, et contradicentem voluntati caesaris populum catholicum caedi jussit. „Voluntas caesaris est omnibus ecclesiis et sanctissimis earum rebus sanctior“, furiosus jactabat Kaliński. Moxque ducenti kozaci cum suo colono irruerunt in parochianos. Inermes vi barbara humi in coemeterio ecclesiae prostrati caesi sunt et vulnerati, omnibus fracti viribus, a cosacis asportati domos, per tres menses jacuere infirmi, febri et gravissimis doloribus correpti.

Anno 1875 denuo Kaliński Hołublam adiit, ut missionarium suum cum fidelibus redintegraret proelium. Mox parochianos extra villam, ad parvam Christi affixi capellam collectos, interrogavit, num jam in animo haberent in caesareae fidei sinum venire, ac caesaris mereri gratiam?

Qui responderunt: „Christus Suam fidem in Petro apostolo et successoribus Ejus firmatam, reliquit nobis confitendam. Fidem hanc catholicam nunquam deseremus. De hac sancta cruce ad quam adduxisti nos, quamque nunc oculis et animo nostro cernimus, vis sacra cor nostrum desiderio implet, ut pro fide sacra catholica sustineamus omnia quaecumque velis. Circumcirca nos lignorum struem facias ingentem eamque accendi jubeas. Prius flammis ejus cremati erimus, non secus ac familia catholicā Koniuszewski in villa Kłoda, quam nostram catholicam ejurabimus fidem“.

Excogitata tum Kaliński mandavit confessoribus admovere tormenta. Et cum in villa omnes jam infirmi et morti proximi jacerent, quum nullum armentum, pecus, nullumque domesticum volatile in villa jam remaneret, atque omnes domus devastatae, desolata horrea, vel in cineres redacta essent, dum tota haec villa Hołubla solitudini similis pateret desertissima, tunc Kaliński de ea cum suis kozacis exiit, nullum caesareae religioni adferens commodum, praeter missionis ignominiam.

In tormentis et vulneribus vitam suam pro fide Christi probanda dederunt supra jam memorati martyres tres, reliqui *Joannes Lis* post barbaras vexationes vulneribus concitus, injectus carceri, morbo consumptus est. Sepulti a kozacis. *Paulus Wilgórski* septuaginta annorum senex, crudelissime caesus, eodem die expiravit domi, ante mortem rogavit adstantes foeminas ut ab ipsis clam sepeliretur, sine kozakorum et schismatici popae interventu. *Nicolaus Klioniuk* post tormenta fessum ejus corpus per longum villae spatum trahiebatur a kozacis, in suo lecto jacuit morbo oppressus insanabili Lazaro similis, animam catholicam Christo reddidit, et fortassis clam per suos in coemeterio sepultus.

73. † **Ignatius Klimczuk** de paroecia Czołomyje incola de villa Wyczółki honoratissimus et magnae fidei confessor et martyr.

Anno 1875 notus nobis missionis dux Kaliński quamvis per mensium duorum spatium paroeciam hanc tenuit circumseptam militibus et kozacis, et vexatione crudeli affecisset catholicos, poenis impositis devastatedam, sed ad caesaris haeresim non conversam, paroeciam relinqui est coactus. Fidei tum confessor extitit memoratus supra *Klimczuk*, post crudelissimas vexationes et kozakorum plagas, in carcerem in Mordy missus, vulneribus confectus brevi mortuus est, et a kozakis sepultus.

74. † **Joannes Klimczuk.** 75. † **Petrus Szymański.**  
76. † **Thoma Romaniuk.** 77. † **Joannes Wasilczuk.** Hi confessores fidei de paroecia Grodzisko.

Jam ab anno 1867 parochiani pro defendenda sua fide catholica et ecclesiae Sanctitate permulta sunt passi, baculis kozakorum et gladiis lorisque caesi. *Joannes Klimczuk* ense kozaci

pro fide confessa in capite caesus, sine mente et sine ullo sensu in terram cecidit, et eodem die vulnere est mortuus. Alter Petrus Szymański incola de villa Hołoweńki, vulneribus confectus, in carcere est mortuus, Thoma Romaniuk septuaginta annorum senex et Joannes Wasilczuk, cum loris consciutto corpore et sanguine respersi humi jacerent, Devel colonus dux missionis confundebat eos pedibus, intensaque voce clamabat. „Claves ecclesiae reddite et magni caesaris fidem suscipite, tunc gratiam merebimini meam.“

Responderunt cruciati: „Da nobis iterum gratiae tantum, quantum jam accepimus, tunc quieti erimus, neque ullam jam abs te gratiam requiremus.... Sed fidem nostram catholicam non ejurabimus, neque claves sanctae nostrae ecclesiae, dum in corpore spiritus vagatur, in profanationem tibi reddemus.“

Ira excandescens Devel, calcabat pedibus unum et alterum confessorem fidei, diris eos persecutus exsecrationibus: „Male-dicti poloni! maledicti catholic! morte vos omnes afficiam!“ Martyres hi altero die sunt mortui Sacramentis muniti. Alii confessores fidei, ut equi vel asini jungebantur curribus, et a koza-cis insessis lacerati verberibus trahere currum impellebantur. Laeto vultu visuque ad facinora haec kozakos adhortatus est senex colonus Devel.

78. † Theodorus Cipułowicz. 79. † Philippus Oczkus.  
80. † Basilius Oczkus. 81. † Anna Anisiewicz. 82. † Christina Weliszuk. Confessores fidei de paroecia Włodawa.

Guberniales consiliarii missionis caesareae confidebant, si pecuniariae poenae deduxissent parochiam ad extremam miseriam, et ultimum incolarum armentum, aut quotidiani usus res domestica, vel ultima frumenti grana essent vendita auctivo mercatu fore, ut ad paupertatem, famem lachrymasque miseriae deducti parochiani, non audaces contumacesque, sed paratoires essent ad sacra caesareae fidei suscipienda. Quae tamen consilia evanuere omnia.

Paupertate et miseria oppressa tota quidem paroecia Włodawensis, civitas, rura villaque, senes et juvenes in lachrymis jacuere, consummabantur jejunio omnes et luctu contabescabant, sed ergebantur fortitudine, fideique suae constantia, et schismati-ci non sunt facti.

Sine ullo itaque a tyrannis sperato successu, quadringenti equestres totidemque pedites de Lublino conducti, jussu ducis missionis saevissimam et barbaram vexationem exsequebantur. Caesi tum sunt iterum atque iterum omnes parochiani a quinto decimo anno vitae ad ultimam senectutem usque. Audaciores mittebantur in carceres Biała, Radzyń, Siedlce, Brześć. In Włodzieni carcere conductis pictoribus, Tur magister missionis caesareae, jussit in parietibus horridos depingi diabolos, quorum terrore et visu minisque diabolicis ubique sparsis, incarerati facilius ad sacra aspirarent caesarea, et obliviscerent catholica. Sed incarerati amissis viribus in tormentis, vita jejuna fracti, continuoque moerore confecti in certamine pro sacra fide tuenda, visu horridos in pictura diabolos, indifferenter aspiciebant, neque eorum movebantur infernalibus furiis, cum dicarent, se libentius versari cum diabolis pictis, quam vivorum esse consortes, qui in terris infernalem missionem exsequerentur, fideles Christi vexantes et satanarum imagines pingentes.

Victimae hujus cruciatus sunt quos superius posuimus. *Cipułowicz* et *Oczkus Philippus* post tormenta altero die sunt mortui persecutoribus dimittentes crimina, a mulieribus sepulti. *Basilius Oczkus* vulneribus oppletus missus in carcerem Białae, ibique brevi diem supremum obiit per kozakos sepultus. Mulieres: *Anisiewicz* tormentata, Białae in carcere mortua est. *Weliszuk* post tormenta in Brześć missa, in Brestensi nosocomio est mortua vulneribus.

83. † **Erasmus Abramiuk.** 84. † **Thecla Lisicka** de villa Tyśmienice. 85. **Daniel Abramiuk.** Confessores fidei de paroecia Ostrów.

Post annos cruciatus, in paroeciam 1874 anno mense decembri a gubernatore missus est in Ostrów capitaneus Gołowiński cum sexcentis peditibus et centenis kozakis. Altera die ferus Gołowiński ad ordinationem gubernatoris, immanem missionis suae tragoediam non in civitate Ostrów palam, sed in villa Jamy, in reticentia possibili agendam decrevit. Mandato ejus obsequentes omnes parochiani steterunt loco edito, ad audiendum verbum voluntatis caesareae.

Tum tercenti kozaci cum lanceis, et quadringenti pedites cum suo militari vexillo expanso, nec non cum magno tympano

norum sonitu et cantu classici ad populum congregatum accesserunt. Demonstrativa haec militaris actio in animis fidelium effectum, quem vellet Gołowińskij, expressit nullum, cum omnes parati essent fidem confiteri suam, omnesque pro ea perferre vexationes.

Mox a Gołowińskij fideles jubentur sezungi, viri in una collocantur parte in altera foeminae, et juvenes de sedecimo ad vigesimum secundum annum. Foeminarum et juvenum agmen circumclauditur quadringentis peditibus armatis, viros compactos circumdant ducenti kozaci, et reliqui centum stant cum elevatis sursum funibus et loris, sui ducis jussa exequi parati. Tum Gołowińskij altissima voce ad fideles dixit. „Quaero ex vobis ex supra caesaris voluntate, ut popam et renovationem omnem in vestra ecclesia libenter suscipiatis.“

Renitentibus parochianis, „Ecce kozakil!“ exclamavit Gołowińskij, irae furiis agitatus. Isti sunt parati ad sanguinem vestrum effundendum!“

„Voluntas tua fiat! Si noster sanguis est tibi necessarius, effundas eum. Sanguis noster pro fide tuenda effusus, nostra erit ad Deum oratio, et pro peccatis nostris salutaris poenitentia,“ responderunt fideles.

„Atqui vos rossicus populus estis, cur igitur quod rossicum est odio persequimini?“ interrogavit Gołowińskij.

„Nos populus a proavis Romano-catholicus, gens polona sumus,“ subjecerunt parochiani.

Contentione hac dicendi finita, Gołowińskij rauca voce de animi odio in fideles exclamavit: „Romano catholici et poloni excede in hunc locum apertum!“ Quo temporis momento omnes, quotquot erant viri ac mulieres in designatum locum transierunt pro sua fide probanda omnia perpeti parati.

Tum Gołowińskij maximo inflammatus furore, de albo parochianorum ordine evocabat quemque. Milites custodiebant parochianos, et kozaci ad terram prostratos fideles, diris suis flagris torquebant. Tyrannus fumum tabaci ore hauriens, perambulabat hunc vexatorum et gementium locum, et insectando invehebatur in illos, clamitans: „Si non hodie, crastina die omnes moriemini.“ „Da nobis die hodierna mori!“ respondebant in tormentis confessores fidei! „Vitam facile franges, at videm non eripies nostram!“

Inter confessores fidei conspersus sanguine gemebat *Erasmus Abramik*, supra notatus incola de villa Jamy, ultra septuaginta annorum senex. Cum nepotes ejus in dolore et maestitia flentes adprecarentur misericordiam tyranni, iste laeto animo allocutus est cruciatum senem, dicens: „O senex fatue, miseret me tui, quod tam stultus sis ideoque meritus tam abjectam poenam. Tu natura tua catholica et polona audax es, sed video non fore, ut alteram jam huic similem perpetiaris poenam, sed cum filiorum et nepotum tuorum maledicto vitam miserrimam tibi finiendam esse certe confido!“

„Non me piget meorum“, haesitante voce et linqua compressa *Adamik* senex respondit. „Deus Omnipotens protector erit eorum... Et illi, scio, pari modo atque ego, custodient fidem suam... Equidem sine ista poena brevi moriturus essem... Quodsi mortem mihi acceleres, Deus tibi parcat... Sed fidem meam non franges...“

„Maledictum polonum pecus!“ voce elata et rauca eructavit *Gołowiński*, et semivivum senem in densam nivem projici jussit, qui altera die est mortuus. Caesis viris caesae sunt mulieres juvenesque omnes a sedecim annis aetatis sua. Fons lachrymarum et sanguinis confessorum augebat fidem, in tormentis patientiam. *Gołowiński* misit politiam in Ostrów et in adjacentia rura, nec non etiam ad judaeorum familias in Ostrów, ut sub gravi poena pecuniaria praepararent pro infirmis cubicula. Infirmi graviusque vulnerati de loco cruciatus in curribus transmittebantur domos suas. Per quattuor hebdomades *Gołowiński* inspiciebat aegrotos medici loco, explorabat ipse infirmorum arteriae pulsum, in capita eorum jubebat applicari nives. Exactis duobus mensibus sexcentos viros misit in carcerem, ad mortem damnatos, caeteros vero ad severimas servitutes coëgit.

*Thecla Lisicka* de villa Tyśmienice crudelissime caesa et missa in carcerem Białae, ibique obiit, a kozakis sepulta. *Daniel Abramik* frater *Erazmi*, septuaginta annorum senex post varios pro fide cruciatus perpessos, detrusus in carcerem Białae, annoque ibi carceris finito, ut „contumax“, in profundas Rosiae terras exilio est punitus. Post annos quinque exilii exardescens desiderio ecclesiae et domus sua, de exilii loco fuga sibi consuluit, et laetus ad suos clam venit. Sed anima hujus miseri senis brevissimo inter suos explebatur gaudio. Post dies aliquot

politia indagativos oculos suos conjecit in eum. Catenis constrictus in carcerem Siedlcensem jussu Gromeka detrusus, iterumque in prioris exsilii sui locum decretus erat. Verum humanior Gromeka, honesta beataque mors, confessorem fidei e potestate vexatoris, iteratoque exilio liberavit. Qui in Siedlensi carcere corpore tumens, fidellimam animam suam Christo judicandam reddidit, a kozacis sepultus.

86. † Nicephorus Kościuszko. 87. † Luca Elczuk.  
88. † Simeon Kościuszko. 89. † Joannes Klimiuk. 90. † Laurentius Klimiuk. 91. † Catharina Chilczuk. 92. † Antonina Olesiejuk. 93. † Praxedia Kowalczuk. Omnes hi de paroecia Rozwadówka confessores.

Anno 1874 mense decembri jussu Tur, pro fide catholica confessa, tam terribili cruciatu tormentati erant, una cum omnibus parochianis, ut viri quingenta kozakorum flagra et mulieres trecenta passi erant. Vulneribus mortiferis afflicti et semivivi, a kozacis opplebantur nivibus. Dubia spe vitae, morboque ursi per septem menses gravissimo, semivivi relegati sunt in carcerem Siedlensem, et ibi sunt mortui, Christo Judici fideles suas commendantes animas. A kozacis sepulti.

94. † Nicolaus Kuźmiuk. 95. † Franciscus Grabowski.  
